

Cerebrū sensu
carēs, quō cor-
poris sensus
gubernat.

Reliqua pars debiti mei de eo est, cur cerebrū, cum sensum non habeat, sensus gubernet. Sed de hoc quicquid tentabo si potero esse soluēdo. Sensus de quibus loquimur, quicquid sunt: uisus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. Hi aut in corpore sunt, aut circa corpus, solisque sunt caducis corporibus familiares. Nulli enim diuino corpori sensus inest. Anima vero omni corpore, uel si diuina sit, ipsa diuina est. Ergo si dignitas diuinae corporis, sensum dedignatur, quasi aptum caducis: multo magis anima maioris est maiestatis, quam ut sensu egeat. Ut autem homo constet & uiuum animal sit, anima praestat, quae corpus illuminat. Porro illuminat inhabitatio, & habitatio eius in cerebro est. Et sphaericalis enim natura, & ad nos de alto ueniens, partem in homine & altam & sphaeralem tenuit, & quae sensu careat, quae non est animae necessarius. Sed quia necessarius animali est, locat in cauernis cerebri spiramentum de effectibus suis. Cuius spiramenti natura haec est, ut sensus & ingerat & gubernet. De his ergo cauernis, quas ueteres cerebri nostra uocauit antiquitas, nascuntur neruorum septem *συνυγία*; cui rei nomen quod ipse uoles, Latinum facito. Nos enim *συνυγία* neruorum uocamus, cui bini nerui pariter emergunt, & in locum certum desinunt. Septem igitur neruorum *συνυγία* de cerebri uentre nascentes, uicem implent fistularum, spiramentum sensificum ad sua quaecumque loca naturali lege ducentes, ut sensum uicinis, & longe positis membris animalis infundant. Prima igitur *συνυγία* neruorum taliū petit oculos, & dat illis agnitionem specierum, & discretionem colorum. Secunda in aures se diffundit, per quam eis innascitur notitia sonorum. Tertia naribus inseritur, uim ministrans odorandi. Quarta palatum tenet, per quod de gustatibus iudicatur. Quinta uis sua corpus omne implet. Omnis enim pars corporis, mollia & aspera, frigida & calida discernit. Sexta de cerebro means stomachum petit, cui maxime sensus est necessarius, ut quae desunt appetat, supflua respuat, & in homine sobrio se ipse moderet. Septima *συνυγία* neruorum, infundit sensum spinali medullae, quae hoc est animali, quod est nauis carina. Et adeo usu aut dignitate praecipua est, ut longum cerebrum a medicis sit uocata. Ex hac denique ut ex cerebro diuersi nascuntur meatus, uirtutem tribus animae propositis ministrantes. Tria sunt enim, quae ex animae prouidentia accipit corpus animale, ut uiuat, ut decore uiuat, & ut immortalitas illi successione quaeratur. His tribus propositis (ut dixi) animae, per spinalem medullam praebetur effectus. Nam cordi & iecori & spirandi ministerijs, quae omnia ad uiuendum pertinent, uires de spinalibus quos diximus, meatibus ministrantur. Neruis etiam manuum, pedum, aliarum uel partium per quas decore uiuit, uirtus inde praestat. Et ut ex his successio procuratur, nerui ex eadem spinali medulla pudendis, & matri, ut suum opus impleant, ministrant. Ita nulla in homine pars corporis sine spiramento, quod in uentre cerebri locatum est, & sine spinalis medullae beneficio constat. Sic ergo fit, ut cum ipsum cerebrum sensu careat, sensus tamen a cerebro in omne corpus proficiatur. Euge Graeculus noster, Euangelus ait, tam plane nobis ostendit res operu naturae tectas, ut quicquid sermone descripsit, oculis uidere uideamur. Sed Eustachio iam cedo, cui praeripui consulendi locum. Eustachius: Modo uel uir omnium disertissimus Eusebius, uel quicumque uolent alij, ad exercitium consultationis accedant. Nos postea liberiore otio congregiemur.

Qui fiat, ut